



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per  
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum  
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat  
scelerum Ultor Deus**

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.**

Concio XIII. Dominica Quinquages. Bacchi festum infestum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)



## CONCIO XIII.

## DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

*Illudetur, Luc. 18.*

## Bacchi festum infestum.

A.  
Bacchana-  
liorum  
tituli.



Ecurrit hodie iterum grande illud & enorme festum tricoloris bacchi, illud gulæ ac luxuriæ triviale festum, illud bestiale ventris & abdominis festum, festum verè stygium, diabolicum *bacchanalia*. His & aliis pluribus elogiis decorari meretur præfens festum. Lustrentur Patres; patebit, hæc & alia jam pridem hunc in diem fulminata esse. Parcè adhuc loquitur Bernardus (1) *id Deus constituitur, quod præ ceteris colitur*. Cum autem hoc tempore præ ceteris venter noster colatur, quidni etiam festum dicatur atheum, idololatricum? idem Paulus (2) inquit, non ego: *quorum Deus venter est*, ubi omnes adiposos bacchi fratres velut idololatras configit, quia Deo verò insuper habitò, huic uni ventricoso numini diu noctuque obsequia deferuntur. Huic uni voces resonant cytharæque lyræque: huic uni tot damulæ ac cervi, tot porci & porcelli, tot turdi & ficedulæ tot lepores & gallinæ, hoc triduo sacrificantur. Coram hoc thyrtigero sycophanta & pessimæ sortis Eglone passim humi fundi videas ebrios glutones ut pro Deo vivum dæmonem adorent. Hæc in hoc hominum genere pridem notavit Tertul.(3) hinc voces illæ: *his Deus venter est, pulmo templum, aqualiculus altare, & sacerdos coquus*. Suos gentiles Ægyptios graviter irrisit Juvenalis (4) quod ceppas rappas, & allia flultissimo ritu, tanquam Deos colerent: *ô sanctas gentes! quibus hæc nascuntur in hortis numina &c.* & quidni nobis idem quotannis gentiles exprobrent & hæretici? quot

(1) S. Bern.  
in ep. S.  
Paul. ad  
Phil.  
(2) Phil. 3.

(3) Tertul.  
de jejun.  
c. 16.  
(4) Juven.  
Sat. 15.

quos vident protrita ratione tanquam malè furentes bestias transcurrere, ventri tanquam idolo servire, eique victimas panè quotidianas immolare, donec ipsi sicut fufus humi bos, humi sternamur, totumque corporis truncu fæculentis forðibus mergamus. Hæccine sunt præambula illa, quibus sacram Quadragesimalem inediam in honorem ac humile obsequium Dei passi auspicamur? prò dedecus! omnes atheistas, omnes idololatræ pridem Sacri Imp. Romani finibus Christianitas proseripfit, jam impunè omnes iterum plateas pererrant, & quod dolendum, illi etiam, quibus ex officio incumberet hæc probra tollere ac profligare, subinde popas agunt & sacrificulos, quorum exemplò utique pessimò etiam plebs irritata, græcando & saltando, procando & luxuriando non dies tantum, sed totas etiam noctes exurat. Non sine mysterio Pompejus olim fanum erexit ventricoso Baccho, in quo unà Veneris lascivæ statuam erexit. Totum rei hujus mysterium detexit (5) Tertul. *semper enim simul incedunt, & sub eodem tecto commorantur duo hæc damonia conspirata & conjurata, ebrietas & libido.* Prodigium fuerit Tertuliano (6) unum ab altero separari. Sic iterum loquitur cit. *monstrum fuerit libido sine gula, gula sine libidine.* Hinc palàm quoque fassus est Hieron. (7) *se de ebrio glutone nihil puri concipere posse: nunquam ego ebrium putabo castum,* verba sunt Stridonensis. Gulo sit matrimoniali vinculo constrictus? erit adulter. Solutus est? fornicator audiet; cum enim libido carni serviat totaliter, hæc etiam suis semper pasci ardet bellariis. Unde tritum illud: *subtrahere ligna a loco, sive extinguere flammam.* Esculenta remove & poculenta, si castius vivere inardescas. Bacchum profliga, gulones socios devita, festum stygium bacchanaliorum, gulæ festum excaudica, nec oleum flammis affunde, sed potius fomentum subtrahere; sic tandem procax flamma morietur, & omnis libido vaneſcet. *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Quis ad choreas properat, nili probè fartus & benè potus? ubi ad mensam ferculis & poculis prænantem confident gulones, tandem & pedes titillantur, & totus homo in omnem petulantiam resolvitur. Farto ventre asini recalcitrant. Hæc omnia ad oculum clarescunt in piis Patriarchis Nøe ac Lot. Nunquid hic sua etiam cum filia

B.  
Atheistæ,  
idololatræ  
sunt gulosi.

C.  
Bacchus &  
Venus  
individui  
comites.  
(5) Tert. l.  
de jejun.  
(6) Idem  
cont.  
pſich. c. x.  
(7) S. Hier.  
ep. 83.

- (8) Gen. 29. & 5.  
(9) Alcuin. 9. 138.  
(10) S. Ambr. de pœn. c. 1.  
(11) Eph. 5.  
(12) S. Aug. Ser. 231. de temp.  
(13) S. Jo. Chryl. Hom. 1. & 57. ad pop. Ant.  
D. Bacchana-  
lia diabolo  
aithore  
instituta.
- peccavit ebrius, quod nunquam somniasset sobrius ut perhibet (8) Script. ita jam in mundi exordio se Baccho sua Venus sociavit. Bellè hanc in rem Alcuinus (9) animadvertit: *cur nudatio femorum secuta est ebrietatem in Nœ? quia post ebrietatem libido subsequitur, & è gula in lasciviam transitur.* Vultis ad abundantiam ipsum etiam D. P. Ambrosii vivax testimonium audire? ipse (10) loquatur: *conviviis pascitur, deliciis nutritur, vinò accenditur, ebrietate inflamatur libido; ita quidem ut inde grande incendium exoriatur, quod nulla ætas in tartaro extinguat.* Hinc in finem paternè monet singulos D. Paulus (11) *nolite inebriari vinò, in quo est luxuria.* At quid solam luxuriam ebrietati annecto? omnia flagitia, omnia scelerum probra & portenta stabulantur, ubi grassatur ebrietas. Quid est ebrietas? quæstionem enodat Augustinus (12) his verbis: *ebrietas est Mater litium, furoris genetrix, perulantia magistra; hanc qui habet, homo non est; hanc qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum.* Hæc de ebriis siphonibus sentit & scribit Aug. *totus totus est peccatum.* Mirum adeò nemini videatur, hunc adipalem Bacchum suis cum affectis & famulatrice turba pro demone vivo, & diabolis servis proclamatum fuisse ab (13) Ambros. Duplici loco hanc sententiam suam de fæce bacchica Mediolanensis promulgat partim in primâ partim in 57. homil. ad Antiochenos. Ibi hæc intonat: *voluntarius demon ebrius est, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina carens excusatione, commune generis nostri opprobrium.* Hic loci sequentia inculcat: *Ubi ebrietas est, & demones agunt choreas.* Hæc Patrum oracula si credimus, nemo sanè mihi vitio dare poterit, dictum esse à me hodie præsens Bacchi festum, *idololatricum ventris festum, festum asheum,* quia ut plurimum illi sacrificatur, qui Deus nec est, nec esse potest; *festum diabolicum,* quia soli propè diabolo servitur, quia soli gulæ vacatur. *Festum meretricium,* quia gulam pari passu libido comitatur. Rectè proin hos titulos in hodiernum bacchanaliorum diem conjeci. Sic SS. PP. jubent imperant. At dicite modò quis hoc diabolicum &c. festum instituit? S. Mater Ecclesia id potiùs anathematizavit. *Nolim multùm tricarì aut moras, ex moris necere; dicatur sine*

fine fūco sancta Veritas : id diabolus instituit , id dæmon erexit , is ipse scilicet , qui ante 7000. annos nostros proto-parentes Adamum & Evam stimulis suis , illiciis & mendaciis suis eò induxit , ut tam sibi quàm toti posteritati suæ vitam in paradiso abligurirent , quam tamen nobis denuò per quadragintadiale jejunium & acerbissimam mortem suam Clementissimus Deus reparavit . Hoc ex capite voluit Ecclesia , ut in honorem SS. Passionis , Deo suo pro reparata salute se gratos exhibituri , pariter 40. dies jejunia continuarent , una refectione per diem contenti ; imò ut Baronius (14) observat , olim nostri majores (14)Baron. ad an. 1063. jam solenne jejunium suum à Dom. Septuag. soliti sunt auspicari , quod ad usque sacerrimum Pascha extendebant . Ah ! tunc temporis de Bacchi festo nemo mortalium somniabat . Ut verò pateat , quàm severis olim legibus verna hæc jejunia majores nostri servarint , audiatur denuò Baronius , quæ lex posita fuerit Germanis . Aures arrigite bibones & gulones germani , hem decretum in carnivoros egiones sancitum ! sic sonat ex Baron. *olim in Germania decretum fuit , excuti ei , qui à Septuagesima usque ad Pascha non carnis abstinuisset , neque sanctum luctum antecoccupasset . Quæ lex utinam universaliter locum haberet quoad ipsam Quadragesimam !* hæc Baronius . O tempora ! O mores ! quàm enormiter à primævo fervore defleximus Germani ! jam ne quidem Quadragesima in cultu est apud multos . Tres priores septimanas Ecclesia ipsa jam penitus abrogavit , ut tantò arctius hanc servarent quadragesimam Christiani . Ita gulosissimus dæmon avitam pietatem subruit , evertit , Prò ! simile decretum pro hac quadragesima seu potius pro carnivoris glutonibus cuderetur , quot hodie forent , qui singulis dentibus gauderent ? mille iterumque mille nonnisi vacua ora circumferrent vi decreti illius . Ita nempe gula invaluit . Deum immortalem ! novi , quàm nec feriis sextis nec Sabbathis parcunt per annum , etiam hos dies lixis & frixis carnis incessando , licet nulla corporis lue laborent , ac subinde ipso è Christi patrimonio vitam extrahant sybariticam non Christianam &c. Scio , nos inter fuisse , qui sacro etiam Parasceves die gulæ ac libidini suæ servirent , in omnem temulentiam effusi , ubi felle potatum esse sciunt Servatorem nostrum ,

E.  
Fervor  
jejunandi  
olim  
Germanis  
receptus,  
& mirabili  
decreto  
firmatus.

nostrum, ridentibus urnariis. Ah quò decreto nostris à majoribus hi crudeliter fulminati fuissent! dentium excussio tantæ pravitati non fuisset commensurata. Altius extendi debebat decretum, quo etiam horum barbara gula retunderetur.

F.  
Gaudium  
honestum  
non pro-  
hibet  
Ecclesia,  
sic ritè  
jejunia  
serventur.

Sustulit pridem Septuagesimam Ecclesia, à qua olim cepta fuit jejunia nostra, ad pascha usque continuata, modò præiens 40. jejunium suo in flore, suo in vigore subsisteret. Tolerat Ecclesia etiam *carnevalium*, ut vocatur, seu antecæneralia gaudia, quibus carni valedicitur, modò ea sint moderata, modesta & honesta, nec Dei nec proximi læsiva gaudia. Ipsa clamat Ecclesia: *letamini in Domino, & exultate justi, sed in Domino, in Domino, non demone.* Non ideò ebrietati & omnibus petulantis totum triduum imoletur. Non ideò Deus lædatur, aut fides illius catholica, orthodoxa, in qua una Salus est obtinibilis æterna. Non ideò tota ratio immodicis haustibus tumuletur; non ideò homines in bestias transformentur. *In Domino letamini*, seu coram Domino lætamini omniscio, vindice pravitatis, ut ne animas nostras orcini alãstros prædentur, si spurcitiis suis bacchici gulones immoriantur. Celebrari possunt encænã, sed cum ratione, ut ne bacchus atheitice colatur. Possunt carnevalia reassumi, ita tamen, ut nullam salutis suæ jacturam animæ post fata patiantur; hæc autem carnevalia illis tantùm indulgentur, qui totam quadragesimam perenni jejunio colunt; carnivoris contra neque hæc celebrandi ullum jus conceditur. Qui nulla servare cogitat jejunia, is nulla celebret carnevalia; privantur adeò hac licentiã carnivori Christiani, & vel maximè fidei nostræ aperti hostes quibus *abominatio desolationis* jejunia proclamantur, ac semper plus sapere dicitur caro die veneris absumpta, quam festo paschatis ritè in cibum composita quasi verò pro illis nec passus nec mortuus esset Servator, ut opus illis haud sit, Deo passo per quadragesimale jejunium debitas grates rependere. Sed quid externos moramur? fidei nostræ domesticis calamos exero & linguam. His hodie tritum illud occento: *quidquid agas, prudenter agas & respice finem.* In folio stultescunt, qui avidè delicias sectantur momentaneas, quarum finis nunquam finiendus æternantibus ærumnis obruatur. Hos stolones binis in

in locis Sapiencia depinxit suprema: (15) primò in proverbiiis: *letantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*, ut cum alios humi fundunt bibendo, aut angelicam puritatem stygiis ausibus expugnant, aut grandibus imposturis, fraudibus & fucis obvios implanant, ex obliquo ampliant mammonam, aut ultrice vindicta odium satiant decumanum. Secundò in Sap. (16) libellò, ubi brutas delicias ultrò reprobi decantant: *ubique relinquamus signa letitia: nullum sit pratum, quod non pertransseat luxuria nostra: vinò prezioso nos impleamus &c.* vel prout crudè crasè apud Isaiam (17) baubantur: *comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Hem palmarem stulticiam! quid magis absonum aut rationi inimicum fingatur? si resciant, sibi crastinà moriendum, sobrii potiùs, non vinò madidi fatum excipiant, & hodie propter cras suas rationes componant, in pane & in aqua jejurent; ac totis viribus poenitentiam capeffant &c. ita se ritu Christiano ad piam ac ter faustam mortem disponerent; at prævalet passim bacchicus alastor, qui perpetim urget improvidos, ut more atheistis recepto nec Deum revereantur, nec tetram mortem reformident, quæ tamen nulli hominum generi plures insidias struit quàm ebriosis; hinc Petrus (18) simul & Paulus (19) omnium auribus intonant: *vigilate, sobrii estote, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa, qua veniet ut fur &c.* Accidat enim, ut vos subita mors in crapula, in lascivia, in odio & vindicta comprehendat, de vita æterna actum esset in æternum & ultra. Momentaneum quod delectat, æternum quod eruciat. Ostendit Deus multoties, quàm misero fine bacchanales deliciae coronentur; sed horremus veteres tragedias, & nostris utimur annis. Vidit similes tragedias sæpius Gallia, lapsò seculò horridam quoque Germania suspexit; eà nunc animos simul & aures bacchantium lurconum obiter perstringere mens est.

Tangit hæc tragedia non imæ conditionis plebejos homines, in mille probra saturnalibus hisce feriis effusos, sed avita nobilitate conspicuos Proceres, quorum pravitas tantò gravior esse creditur, quanto cum plurium damno vitia eorum in vulgus jactantur. Annus agebatur millesimus quingentesimus septua-

(15) Prov.

(16) Sap. 2.

(17) Is. 22.

(18) 1. Pet.

4.

(19) 1.

Thessal. 5.

G.

Belluina

bacchan-

tium

pravitas

acerimè à

Deo pro-

foinditur.

septua-

septuagesimus, quò tres magno sanguine prognatos Comites sua in bacchandi vesania Themis corripuit Divina; hi sicut omnem lapidem movebant, ut novis infantiendi foimis ac figuris bacchi festa excolerent, ita novis pariter ritibus pœnas dabant exoticæ pravitatis. Bacchi encaniis per triduum celebrandis arx decreta erat Waldenberga, Eberhardo Hochenlöenfi Comiti, Hospitum consanguineo habitata; hic frænos omnes libertati resolvere fixum erat circumfusæ nobilitati. Itum est in omnes delicias, risus, & jocos pro ratione temporis mimicos personatos, quos tamen vix modicè libatos lætus excepit & fatale lamentum. Epulis & poculis strenuè certatum est in seram noctem. Solutâ mensâ præter celebres choreas lusum est aleis & fritillis. Nemo jacturæ impatiens, de damna caniculæ querebatur, quoties alea fortunæ damis visa est patrocinari. In lucro potius jactura ponebatur, quam Bertarum in gratiam liberè passi sunt bacchici gancones. Primi omnium talos ac tesseras movebant mimi numerò terni, proximo sanguine Eberhardo juncti Comites, foedo habitu personati. Vestis, quâ erant amicti, linea erat, villis ac fetis horrida, pice simul ac resina undique illita: color tetros æthiopes, larva stygios lemures, trons binis cornibus armata, ac pedum unguulæ capripedes faunos referebant: dextra manus flammea face instructa, læva trinòdi clava firmata, comæ per humeros sparsæ non risum spectantibus movebant, sed horrorem. Nempe! non satis est bæchicis gulonibus vitâ & moribus belluas repræsentare, nisi etiam veste atque habitu turpes bestias imitentur. Ita scenz omnes choreis ac tripudiis, lusibus & jocis totam per arcem & arcis aulam apertæ, ad alternos plausus & promiscuos saltus ludicros hospites provocabant; ubi reliquis omnibus palmam præripere visi sunt Satyri numerò terni. At vix horulæ unius abiit momentum, proterviæ vindex Deus palam ostendit, quam citò comediæ nostræ in fatales tragœdias degenerent. Medios approperanti fato præludente, ut tessera longius projecta, è mensa laberetur, quam cum verna pariter personatus ardente tæda inter madentis mensæ fulcra requireret, funalis incautè versati flamma vernam ocius ac perillustrem faunum comprehendit,



dit, inde alios atque alios serpens focus involvit, tanta celeritate ac impetu, ut tres satyros & villosos eorum vernas antè letho daret vorax flamma, quàm flammæ furentis rabies compesceretur. Pro tam enormis incendii causâ passim quidem historiographi cum Beierlinc (20) tesseram humi fufam allégant, quàm cum accensa face personatus verna incautiùs vestigaret modica favilla vestem picatam irruisse fertur, quæ alterum atque alterum succendit, & horrida morte tot mimos absumpsit; at verò aliam longè tam enormis incendii causam promit (21) Biderman, quam probè velim ab omnibus bacchiculis apprehendi. Cùm capripedes fauni primi omnium choreas agere cepissent, easque aliquamdiu contiaùssent, ex improvviso quartus faunum pariter mentitus mimus chorum dicitur auxisse; ignari primùm, quis nova sub larva delitesceret, ignotum hospitem mirari ac suspicere, inde ferali quodam horrore percelli; pergebant tamen inceptis audacter protrito metu, orbem saltatorium egregiè versantes, quos ad omnem motum ignoti nominis faunus rara visus est agilitate æmulari; utut tamen tripudians circum excurreret, placere tamen nulli potuit, quem nemo agnovit. Erant qui omniòsum saltatorem totis viribus exploratum irent, & seridè detractam vellent larvam; sed præoccupavit sociorum studia & omnem curiositatis passum prope-ranter elusit invisus hospes. Simius iste faunus se modò medium choreis ingessit, modò tanquam præfultor novùm duxit chorum, modò cursim in orbem lustravit singulos, in omnem ansum intentus, quâ opportunè tragœdiam ordiretur; hunc in finem repente flammam, quam uberem sinu gestabat, sinu extractâ, proximo fauno asperfit, totùmque sulphurea peste involvit, & mox, re quasi optimè peracta, se omnium oculis subduxit; inde natum incendium, quod ternos Comites suis cum famulis confecit, extinxit. Nemo quærat, quis iste fuerit circulator, à Deo missus, veluti lictor ad pœnam raperet belluinam pravitatem. Nullum locum tanta promptitudine dæmon involat, quàm ubi videt, saltibus & salibus, choreis & lusibus vacari fescenninis. Juxta SS. Patres, *chorea circulus est, cujus centrum est diabolus*, (22) S. & *circumferentia Angeli ejus*. S. P. Chryf. (22) Sacro è pulpito suo clare detonat & distinctè: *ubi saltus lascivus est, ibi diabolus est*. 49. in

(20) Beril.  
in theat. t.  
4. p. 2. lit. f.

(21) Bider-  
man. l. 3.  
acroam.  
ult.

H.  
Saltus  
diabolicus

(22) S.  
Chryf. hom  
49. in  
Matth.

Q

Mirum proin nemini videatur, choro saltantium se dæmonem ingessisse. Cui in ardentibus votis orcus est, choris indulget & choreis. Hic ultrò se turbæ miscuit saltanti, ut palam Styx ostenderet, se duce ac magistro omnes choreas expediri, eas maxime, quas hoc triduo bacchus dicit & luxurians Venus. Cum in circuitu impii ambularent & lusum luderent solennem, in tot spectatorum oculis tres illustrissimi Comites suis cum vernis, ejaculatis ab avernali Salio flammis, antequam subvenirî posset; facti sunt per ludum vivicomburia, lentis ignibus tostis assatique. Nihil quidem studii, nihil officii prætermisum est, ut flammaram grassantium rabies compesceretur: tentarunt omnes omnia, sed incassum; ita Deus bacchantium ritu offensus disposuit, ut auxilium unde unde petitum vanesceret, vi ac effectu suo destitutum. Omnis opem properantium contentio ex certo Numinis Supremi consilio elusa & dissipata est. Fons tot annis inundans repente exaruit, quod nemo potuit reboantæ fortunæ sed ulti Deo adscribere; erant qui grandes cados lymphâ obvio è fonte opplerent, sed festinandi studio ipso in limine prolapsi urnam diffringerent, & totum fontem dilapidarent; erant alii qui neque cellæ vinariæ doliis parcerent, ut ipso etiam vinò potens auxilium maturarent, sed face subito extincta tenebras palparent, & antè mimos flamma consumeret, quàm suis cum urnis comparerent; erant alii quibus urna lignea undis plena medio in cursu derepente fatisceret, & hac illac humor antè diffunderet, quàm metam attingerent; erat tandem qui cum majori amphora provolaret, ratus se undam properare, sed pro aqua oleum flammis affunderet, unde novis viribus letale incendium augetur. Interim vitæ fumantis reliquias grassabundus ignis expugnavit, & funus fecit male personatam ternionem. Sic justus ex alto Deus disposuit, ut per orci flagrionem bestiales deliciæ dissiparentur. Ex spectaculo tam tragico ita reliquis omnibus Bacchi festivitas desipuit, ut posthac omnibus voluptiis diem dicerent, & annua Bacchi encania constanter ejurarent, versante identidem ob oculos præfente tragœdia, quâ Deo placuit sine ullo hominum respectu mimica Bacchi festa exterminare.

Possem plures hujus generis tragœdias adducere, sed una

una hæc tantisper sufficiat, ut nullis unquam minis fidem habeant, aut locum indulgeant Christiani, sed omnem perulantiam à se ac suis hõc ævõ proscribant. Notum est, quid in Edam urbe Hollandica ante centum circiter annos acciderit, ubi lapsus è cælo ignis totam Bacchi festivitatem unacum ædibus & templis funditus extinxit. Bellè hanc tragediam Pelecus (23) depinxit, quem nolim deslorare. Turris illius Babylonica omnium oculis objacet præsentem in horam.

(23) Joan. Pelec. in tur. bab. c. 16. (24) Phil. 4

*Disite justitiam moniti & non temere Divos!* in Domino cum Paulo gaudete, ut tamen vestra omnium modestia omnibus nota fiat & manifesta juxta Pauli (24) monitum. Gaudium vestrum sit purum, nullis peccati aut scandali fæcibus contaminatum, procul actõ bestiali gaudiõ, porcino gaudiõ, hircino & orcino gaudiõ. Gaudium potius sit humanum, sit sobrium, quõ gaudium illud æternum nullatenus evertatur.

*Quidquid agas, prudentes agas, & respice finem.* Choræbõ stultior est, qui cum reprobis (25) vociferatur: *comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* Hodie potius propter cras suspicite, ne foris graventur corda vestra in crapula & ebrietate, ac superveniat in vos (25) *repentina dies illa*, quæ in gravi flagitiõ deprehensos sistat æternitati, sed ignitæ, stygiæ, execrandæ, quam omnium à cervicibus ter clemens Deus avertat! Amen.

(25) Luc. 21. & 1. Thessal. 5.



Q 2 CONC.